Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36549
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

becillitatem suam et virtutem domini confitentes. dicentes. In
nomine Iesu. surge et ambula. Notandum autem quod
in duodecimo loco potestas signorum apostolis concedatur. Duodecim apostolorum nomina sunt haec. Catalogus apostolorum
ponitur ut extra hos qui pseudo apostoli
sunt futuri excludantur:

PRIMUS SYMON QUI DICITUR PETRUS et andreas
frater eius. Ordinem apostolorum et meritum uniuscuiusque ille
distribuit. qui cordis archana rimatur. Primus
scribitur symon cognomento petrus ad distinctionem
alterius symonis. qui appellatur chananeus de vico galileae
chana. ubi aquas dominus vertit in vinum. Iacobum
quoque appellat Zebedei. quia et alius sequitur iacobus alphei
et apostolorum paria iugaque consociat. Iungit petrum
et andream fratres. non tam carne quam spiritu. Iacobum et Iohannem. qui patrem corporis relinquentes verum patrem secuti sunt. Philippum et Bartholomeum. thomam quoque et matheum publicanum. Ceteri evangelistae in coniunctione
nominum. Primum ponunt matheum et postea thomam. nec publicani nomen adscribunt. Ne antiquae
conversationis recordantes. suggillare evangelistam viderentur. Iste vero ut supra diximus. et post thomam se ponit et publicanum appellat. ut ubi habundavit peccatum. superhabundet gratia. Simon chananeus. ipse est qui in alio evangelio scribitur. Zelotes.
Chana quippe zelus interpretatur. Et thatheum apostolum ecclesiastica tradit ystoria missum edissam ad agabarum
regem hosroenae. qui ab evangelista luca iudas iacobi